~~et Senensibus~~ et comite Guidone pro destruendo districtu[a] Pisano. Et quia timebat, ne Pisani subito in eum irruerent[b] pro suis captis civibus rehabendis, interea[c] dictus Christianus ad castrum dictum Ventignanum[d] quod erat comitis Gerardi, equitavit, et ipsum XVII. kalendas Septembris fortiter pugnando cepit. Et ipsum comburens, illico contra Florentinos equitare, et cum eis preliari minatus est; Quod audientes Pisani, ad[e] Florentinos CCXV milites Pisanorum, festinanter cum duobus consulibus, scilicet Bonacto et Albitello miserunt. Unde valde confortati et gaudentes facti sunt Florentini: Auxilia etenim, que expectabant eis aliunde[f] promissa, non habere poterant. Cumque Christianus et sui cum Florentinis postea dubitassent bellum facere, de Florentinorum consilio factum est, ut Pisani ad terras Lucanorum[g] devastandas irent. Et sic Pisanis revertentibus et Lucanorum terras undique usque ad pontem Sancti Petri devastantibus, et usque Lunatam[h] omnia spolia et bestias predantibus Lucenses

a) districto G.
b) irruerent V.
c) int'era V. (G.) Crist. L.
d) uentrignanum V. G.
e) a V.
f) Bonacto et albithello miser V.
g) aliundez V. promisa G. Crist. L. promissam
h) Pisanorum G.
i) Lunatam V. mi[illegible]